

*Quinto*: Ideo calor vt septem, & frigus vt septem non possunt esse in eodem subiecto naturaliter, quia vtrumque acturet subiectum complete, & sic idem esset calidum, & frigidum, ac proinde calidum, & non calidum: at illa denominatio non impedit, quin diuinitus id fieri possit; non est enim repugnantia, quod idem lignum respectu vnus formæ scilicet caloris dicatur calidum, & respectu alterius formæ, scilicet frigoris dicatur frigidum: repugnat quidem, quod secundum eandem formam dicatur calidum, & frigidum, non tamen secundum diuersas, etiam in eodem subiecto existentes, sicut dictum est de materia respectu duarum formarum substantialium, nimirum quod eodem numero materia forma bouis daret esse bouinum, & forma equi daret esse equinum; imò ponamus casum, cum calor intenditur, frigus remittitur ad æqualitatem, ita vt calor decreascat ad quartum gradum, & frigus intendatur ad quartum gradum, tunc in eodem subiecto erit ad æqualitatem calor, & frigus: quæro autem, quomodo subiectum in illo casu denominabitur, an calidum, an frigidum?

Respondet Capreolus in mixto semper alterum contrariorum prædominari, at licet hoc sit verum naturaliter, nulla tamen est impossibilitas, quin hoc accidat, saltem diuinitus. Respondet Petrus Niger, in illo casu subiectum neque denominari album, neque nigrum, ergo similiter dicerem, quod licet albedo, & nigredo vt septem essent in eodem subiecto, subiectum non denominaretur album, nec nigrum, ergo repugnantia non debet peti ex parte denominationis.

Existimo tamen verius, si subiectum haberet albedinem, vt quatuor, & nigredinem, vt quatuor, denominaret album, & nigrum, in ordine tamen ad diuersas formas. Respondet præterea Petrus Niger, quod etsi quatuor gradus caloris, & quatuor gradus frigoris stare possint in eodem subiecto, non tamen octo gradus vtriusque, quia dicit gradus post dimidietatem esse magis actiuos, quam infra. At est hoc sit, attramen tantum ex hoc sequitur naturaliter in excellenti gradu non posse stare simul contraria, quandoquidem verò Deus potest impedire, ne actiuitas vnus agat in actiuitatem, aut resistantiam alterius, ex hoc saltem capite nulla poterit peti repugnantia; nec propterea subiectum desinet calefacere, & frigidificare, calor quidem ille non agat in illud frigus, quia hoc Deus impedit, nec vice verà frigus in illum calorem, sed ille calor, & illud frigus calefaciet, & frigidificet alia subiecta; imò dicit quædam Glossa super illud *Matthæ octauo. ibi erit sletus, & fridor dentium*, in damnatis fore summam frigiditatem, summamque caliditatem.

*Sexto*: Deus potest impedire posterius conseruando prius, quando illa non sunt essentialiter connexa, sed forma accidentalis, v.g. calor dat duo suo subiecto, nempe qualificat illud, & expellit formam contrariam; sed hoc posterius non est essentialiter connexum cum priori, quia supponendo, quod nullum sit frigus in subiecto, calor qualificabit subiectum, & tamen nihil expellet à subiecto, ergo illa duo

non sunt essentialiter connexa, igitur poterit Deus conseruare qualificationem, quam dat forma accidentalis subiecto non conseruando expulsionem; in quocasu calor erit in subiecto, nec expelletur frigus, & per consequens calor, & frigus erunt in eodem subiecto, & hæc ratio videtur efficacissima.

Obijcitur primo: Impossibile est contradictoria esse simul; sed si contraria essent simul, contradictoria essent in eodem subiecto, ergo contraria non possunt esse simul in eodem subiecto. Maior patet, minor verò est Aristotelis *10. Metaphys. sequitur enim quod si in hoc subiecto sit nigredo, in eodem non est albedo; at non est albedo, & est albedo sunt contradictoria*.

Respondeo, concedo maiorem, & nego minorem. Ad Aristotelem verò dico ipsum sic intelligi, nempe ad contraria sequi contradictoria materia gratiæ, & secundum ordinem naturalem, non verò formaliter, idè que quia ad contraria non sequuntur contradictoria formaliter, Deus poterit ponere duo contraria in eodem subiecto.

Ad exemplum de nigredine, & de non albedine dic esse contradictoria non formaliter, sed gratiæ materia. Imò si ea de causa contraria non possint esse simul, quia ad ea sequeretur contradictoria simul esse, sequetur quoque ad positionem formarum disparatarum in eodem subiecto contradictoria esse simul in eodem.

Probat: Sint in meo intellectu Philosophia, & Theologia, quæ sunt formæ disparatæ: sic argumentor, aut de Philosophia, quæ est in intellectu, vbi est Theologia, prædicetur Theologia, aut non Theologia, ergo sequetur, in eodem intellectu esse Theologiam, & non Theologiam: dicendum ergo est non Theologiam non opponi contradictorie Theologia, quæ est in intellectu, ergo similiter non album, prout dicitur de nigro, non opponitur contradictorie albo respectu eiusdem subiecti: Ex quo patet aliquod subiectum posse esse absque vlla contradictione simul album, & nigrum; etiam in gradu excellenti, & ad hanc solutionem attendat lector non modò pro præsentia materia, sed etiam pro varijs alijs, quibus ritè potest applicari. Item vno verbo potest satisfieri fundamento obiectionis, dum dicitur, si in hoc subiecto sit nigredo, in eodem non est albedo: si in hoc subiecto est nigredo exclusiue concedo, id est excludendo albedinem; at si est nigredo non exclusiue, nego.

Obijcitur secundo: Quod est de definitione alicuius rei, illud nequidem diuinitus potest tolli: sed expulsio formæ contrariæ est de definitione formæ contrariæ: Contraria enim sunt ea, quæ se inuicem expellunt ab eodem subiecto, ergo non potest Deus facere vt vnum contrarium non expellat aliud. Deinde dicit Auerroës sepius contraria non esse simul.

Resp. esse tantum descriptionem contrariorum, quæ ipsa contraria, prout secundum concursum nature se habent, definita sunt; naturaliter

Num. 22.  
Affertur  
rationis  
era resolu-  
tiones: &  
soluatur.  
Obije quibus.

22.

Obije. 22.

22.